



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

58. Remissa à Sanctissimo &c. Decretum de Vigiliâ Nativitatis S. Joannis
Baptistæ occurrente in festo Sanctissimo Corporis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

VI.

DECRETA GENERALIA.

Circa Rubricas.

CUm Sacrorum Rituum Congregationi demisso supplicatum fuerit sequentia dubia declarare.

Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit à Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, V. G. de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici, liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus sanctæ Quadragesimæ, adventus, Vigiliarum, & Quatuor temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?

Secundum; An dies impeditus Festo duplici, vel semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo duplici, vel semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim à Sacra Congregatione; Quod scilicet Festum duplex, vel semiduplex etiam translatum necnon dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium Officiorum?

Tertium. An Regulares absque speciali privilegio, sed solâ communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litanis, & Confiteor, itemque recitare Officia, & Missas concessas aliis Religionibus.

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Colloreda respondit.

Ad primam negativè, & hujusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum sive cum jejuniis, sive absque jejuniis nec in feriis secunda Rationum, nec in illa feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicæ.

Ad secundam affirmativè.

Ad tertiam negativè in omnibus.

Et ita declaravit, ac servari voluit. Ac insuper, ut Declarationes, seu Decreta prædicta omnibus immutentur, typis ea imprimi mandavit. Die 20. Martii 1706.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

VII.

Quo Officium S. Hedvigis Reginae Poloniae Viduæ sub ritu semiduplici de præcepto in Ecclesiâ universali celebrari statuitur.

Urbis, & Orbis.

Indulta ab Innocentio felicitis recordationis Papa XI. sub die decimâ septimâ Septemb. 1680. ad pias preces Sereniss. Joannis Tertii Regis Poloniae facultate recitandi in Ecclesiâ Universali Officium Sanctæ Hedvigis Reginae Poloniae Viduæ sub Ritu semiduplici ad libitum; Sereniss. modò Maria Calimira Regina Poloniae Sanctissimo Domino Nostro enixe supplicavit, quatenus benignè concedere dignaretur, ut Officium prædictum in posterum sub Ritu duplici de præcepto, & cum Oratione propria, aliâ sub die decimâ tertâ Augusti 1701. pro

Congregatione Cisterciensi approbata recitetur, precibusque prædictis à Sanctitate Sua ad Sacrum Rituum Congregationem remissis, & ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Card. Gabrielio relatis, Sacrum Rituum eadem Congregatio posse concedi censuit, ut Officium Sanctæ Hedvigis prædictum, hætenus sub Ritu semiduplici ad libitum recitatum, in posterum cum dictâ Oratione propria, sub eodem Ritu semiduplici, de præcepto tamen, recitetur. Si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die 20. Martii 1706.

Et facta de prædictis per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die vigesima septima ejusdem mensis, & anni 1706.

G. Card. Carpineus Præfectus.

B. Inghirami Sac. Rituum Congreg. Secretarius.

DECRETUM.

De prælatione Officii S. Marci Officio SS. Apolorum Philippi, & Jacobi in casu, quo utrumque transferendum erat.

Urbis, & Orbis.

CUm anno 1707. proximè futuro Festum S. Marci Evangelistæ occurrat in feriâ 2. post Dominicam Resurrectionis, & similiter Festum Sanctorum Apolorum Philippi, & Jacobi in Dominicâ in Albis, ac propterea, juxta Rubricas, utrumque sit transferendum; Quæsitum fuit à Sacrum Rituum Congregatione quodnam eorum deberet in translatione præferri, & prius reponi. Et eadem Sacra Congregatio omnibus benè perpensis, referente Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Colloredo, censuit præferendum esse Officium Sancti Marci. Et ita declaravit, & servari mandavit. Die 17. Julii 1706.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

De Vigiliâ Nativitatis S. Joannis Baptistæ occurrente in festo Sanctissimi Corporis Christi.

Urbis, & Orbis.

Remissa à Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XI. ad Sacrorum Rituum Congregationem discussione dubii.

An occurrente Vigiliâ Nativitatis S. Joannis Baptistæ in die festo Sanctissimi Corporis Christi, anticipato jejuniis vigiliæ prædictæ in diem vigesimam secundam Junii, ad formam Constitutionis 232. san. mem. Urbani Papæ Octavi, debeat in Officio diei vigesimæ secundæ prædictæ, ejusdem Evangelii nona lectio, recitari, & in Officio, & Missa de eadem fieri Commemoratio?

Eadem Sacrum Rituum Congregatio omnibus benè perpensis, & pluries consideratis, Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Card. Colloredo referente: Nihil de Vigiliâ in Officio, & Missa peragendum esse censuit, si Sanctissimo D. Nostro videbitur. Die 18. Septembris 1609.

Et

1706.

VIII.

IX.

1707.

Et facta per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die secunda mensis Octobris ejusdem anni 1706.

G. Cardin. Carpineus.

E. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

D E C R E T U M

X.

Quo Officium S. Antonini Archiepiscopi Florentini sub Ritu semiduplici de præcepto in Ecclesiâ universali recitandum esse sancitur.

Urbis, & Orbis.

Ad enixas preces nomine Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Sanctissimo Domino Nostro Clementi Papæ XI. porrectas, à Sanctitate Sua ad Sacrorum Rituum Congregationem remisissas & ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Card. S. Clementis relatas: Eadem Sac. Rit. Congregatio posse concedi censuit, ut Officium S. Antonini Archiepiscopi Florentini, hæcenus sub Ritu semiduplici ad libitum in Ecclesiâ universali recitari concessum, in posterum sub eodem Ritu semiduplici, de præcepto tamen, ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, reciteretur: Si Sanctissimo Domino Nostro videbitur, die secunda Aprilis 1707.

Et facta per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, die 16. ejusdem mensis Aprilis, & anni 1707.

Pro Eminentissimo Card. Carpineo Præf. L. Card. Colloredus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

D E C R E T U M

XI.

In Causâ Ferrariens. Beatificationis, & Canonizationis B. Lucie de Narniâ Ordinis S. Dominici Fundatricis Monasterij S. Catharinæ de Senis Ferrariæ.

Factâ relationes ad humilimas, ac repetitas preces, & Instantias Magistratum Ferrariæ, Viterbii, & Narniæ, ac Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, nomine ejusdem Ordinis per clar. mem. Card. Aldobrandinum, tunc hujus Causæ Ponentem, in Congregatione Sacrorum Rituum habita coram fel. recor. Innocentio Papa Decimo die 19. Januarij 1654. de contentis in duobus Processibus autoritate Ordinariâ confectis per clar. mem. Franciscum Mariam Cardinalem Macchiavellum, tunc Episcopum Ferrariensem; primo nimirum Anno 1647. super Cultu, scientibus, & tolerantibus Ordinariis, ab immemorabili tempore exhibitio Beate Lucie de Narniâ, quæ feliciter obdormiverat in Domino die 15. Novembris 1544., & casu excepto à Decretis per san. mem. Urbanum Octavum editis in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis, cujus vigore idem Cardinalis Macchiavellus per sententiam latam die 19. Decembris ejusdem Anni 1647. pronuntiaverat constituisse, & constare de immemorabili Cultu dictæ Servæ Dei, & propterea non fuisse, nec esse controventum Decretis Apostolicis supradictis, & secundo de anno 1648. super Sanctitate Viitæ, Virtutibus, & Miraculis, cum ex-

hibitione etiam nonnullorum antiquorum Documentorum super Stigmatibus, quæ inibi dicuntur impressa in corpore prædictæ Beate, visum fuit, signari posse Commissionem introductionis hujus Causæ, eidem Sacræ Congregationi directam, ut cognosceret an ritè, & rectè pronuntiatum fuisset per supradictum Ordinarium Ferrariensem super casu excepto ex immemorabili, in cujus Commissionis sub inde à piæ mem. Alexandro Septimo signatæ executionem, ad humillimas perces Eminenssimi, & Reverendissimi Domini Josephi Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ Presbyteri Cardinalis Sacripantes etiam nomine Communitatis Narniæ suæ Patriæ, necnon Reverendissimi P. Antonini Cloche Magistri Generalis prædicti totius Ordinis Prædicatorum, & Monialium S. Catharinæ de Senis Ferrariæ, prout etiam Rev. P. Magistri Thomæ Ripoll Sacerdotis Professi ejusdem Ordinis Provincialis Terræ sanctæ Postulatoris hujusmodi Causæ, propositum fuit in Congregatione Sacrorum Rituum ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Thoma Maria Tituli S. Clementis Presbytero Cardinali Ferrario in locum dictæ clar. mem. Cardinalis Aldobrandini deputato, seu subrogato, Dubium, an Sententia bon. mem. Cardinalis Macchiavelli super Cultu ab Immemorabili erga Beatam Luciam de Narniâ præfesto sit confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur: Super quo auditis prius pluries in voce, & scriptis bon. mem. Joanne Baptista Bottino Fisci, & Camera Apostolicæ Advocato specialiter deputato ad supplendas vices Reverendissimi Archiepiscopi Myrensis Promotoris Fidei, & subinde Domino Prospero de Lambertinis Sacræ Consistorialis Aulæ Advocato, necnon ejusdem Reverendissimi Promotoris Coadjutore; Eadem Sacra Congregatio censuit, sententiam Cardinalis Macchiavelli, ut præfertur, latam super Cultu immemorabili non esse infirmam in casu, & ad effectum, de quo agitur, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur. Die 16. Februarii 1710.

Et facta de prædictis per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die prima mensis Martii ejusdem Anni 1710.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

D E C R E T U M

In Causâ Neritonens. Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Josephi à Cupertino Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci.

XII.

Sanctissimus D. Noster Clemens Papa XI. enixis precibus Patris Magistri Joannis Damasceni Ordinis Minorum Conventualium Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, & Sacrorum Rituum Congregationis Consultoris, nomine suæ Religionis eidem Sanctissimo Domino Nostro humillimè porrectis, benignè inclinatus, audito prius Voto Sacrorum Rituum Congregationis, concessit causam Beatificationis, & Canonizationis dicti Servi Dei Fratris Josephi à Cupertino prosequi, agi, & discuti posse super illius meritis usque ad totalem determinationem non obstante, quod à die obitus illius sequitur die 18. Septembris 1663., seu &c. non sint adhuc elapsi quinquaginta Anni ad formam Decretorum san. mem. Urbani Octavi, quibus expressè